[Qui per literam & circuncisionem es prævaricator legis.]Præputium,inquam,quod est ex natura,id est,quod ita permanet vt natura dictauit, nec circũcidẽdo resecauit quod sibi natura dedit, illud præputium custodiendo naturalem legem, quam tu prævaricaris in litera, [Iudicabit te]id est,comparatione sui iudicabilem te ostendet.Ita secularis vir,si religiosè vixerit,condemnabit respectu sui eum, qui religionis habitum & professionem habet,nec tamen religiosè viuit. Dixi quòd circuncisio tua præputium facta est,& præputium gentilis in circuncisionem reputabitur. Nec immerito:[Non enim est]verus[Iudæus] il le[Qui in manifesto Iudæus est]id est, in vocabulo & natione & legis obseruantia carnali:neq; est vera circuncisio illa, [Quæ in manifesto] id est,quæ corporeis oculis videri potest [In carne] id est,in cutis ablatione:sed ille est verus Iudæus, [Qui in abscondito Iudæus est]id est in secreto cordis confitens & laudans Deum,& illa est vera circuncisio quæ est cordis.Antiqui patres & circuncisionem carnis habebant propter signaculũ fidei,& circuncisionem cordis propter ipsam fidem.Sunt ergo Iudæi in circuncisione carnis, & sunt Iudæi in circuncisione cordis. Ab his patribus degenerantes isti qui in nomine gloriãtur & facta perdiderunt,remanserunt in carne Iudæi,& in corde pagani. Qui idcirco maximè Iudæi sunt appellati, quia Iudas vnus erat ex duodecim filiis Iacob,& de tribu eius regnum veniebat Iudæis,sicut & ipse Iacob prophetauerat,dicẽs: Nõ auferetur sceptrum de Iuda,& dux de femoribus eius,donec veniat qui mittendus est. Nunquã ergo post Dauid habuerunt regem Iudæi,nisi de tribu Iuda,donec Christus veniret,qui & ipse de tribu Iuda nasci dignatus est,vtpote verus rex. Herõdes enim,sub quo dominus natus est,primus ex alienigenis regnauit in Iudæa.Itaque ipso iam veniente domino, euersum est regnum Iudæorum & sublatum ab eis. Modò non habent regnum, quia noluerunt cognoscere regem verum. Qui ergo à Iuda,de cuius stirpe regem habebant, vocabantur Iudæi, videamus si iam hoc nomine sunt appellandi.Ipsi enim voce sua abdicauerunt se ab isto nomine,vt Iudæi non sint digni appellari nisi tantum carne.Cùm enim sequirent in Christum, qui de Iuda & De dauid rex eis datus fuerat,ait illis Pilatus:Regem vestrũ crucifigam? At illi:Non habemus regem nisi Cæsarem. Si non habebant regem nisi Cæsarem, ablatum erat sceptrum ex Iuda.Et si ablatum erat sceptrum ex Iuda,iam venerat qui mittendus erat, & illi virtutem Iudaici nominis perdiderant.Illi autem vere sunt Iudæi, qui Christiani facti sunt ex Iudæis. Cæteri verò Iudæi qui in Christum non crediderunt, etiã nomen ipsum perdere digni fuerunt. Iudæa ergo vera, Christi ecclesia est, credens in illum regem, qui venit ex tribu Iuda per virginem Mariam.

Gene.49.

Ioan.19.

Recte itaque dicit Apostolus non vere Iudæum esse,qui in manifesto Iudæus est,neq; veram, quæ in manifesto in carne circuncisio est,sed eum qui in abscondito Iudæus est,& eam circuncisionem, quæ est[Cordis in spiritu,non in litera]id est,vt secundum spiritum, non secundum literam lex intelligatur.Circuncisio cordis, est voluntas pura ab omni illicita concupiscentia.Quæ circuncisio non fit litera docente & minante, sed spiritu adiuuante & sanante. CVIVS] circuncisionis vel Iudæi,[Laus non ex hominibus, sed ex Deo est]quia non ex inani vocabulo laudatur ab hominibus, sed ex intima veritate à Deo, qui per suam gratiam præstitit ei, vnde laudari possit & dicere,In domino laudabitur anima mea. Nam etiamsi homines talem Iudæum vel talem circuncisionem laudent,laus illa non ex hominibus est: sed ex Deo,id est,non ex humanis meritis, sed ex Dei gratia.Non enim iure quisquam laudari potest solis suis meritis,si ei gratia superna defuerit: sed' cuicunque gratia illa affuerit,hunc vere laudabilem facit. Sic & nonnulli gloriantur apud homines de exteriori habitu religionis, qui tamen intus non habent quod foris ostendunt:alij verò moribus sunt religiosi, qui vestem non gerunt religionis: nec ab hominibus laudãtur quasi religiosi,sed à Deo,qui nouit quod sunt.

Psalm.33.

CAPVT III.

Quid ergo amplius est Iudæo? aut quæ vtilitas circuncisionis? Multũ per omnem modum. Primum quidem,quia credita sunt illis eloquia dei. Quid enim si quidã illorum nõ crediderũt, nunquid incredulitas illorum fidẽ dei euacuauit? Absit. Est autem deus uerax,omnis autem homo mendax,sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis,& vincas cũ iudicaris.

Ioan.3. Psalm.50.

Dixerat Apostolus quòd circuncisio, si legem seruet,vtilis est: si verò prævaricetur, in præputiũ vertitur:& ecõtra,si præputiũ impleat legem, reputatur in circuncisionem.Nũc autem quia videt quod sibi possent obiicere Iudæi, Ergo nihil est amplius nobis quàm gentilibus, & sic Deus superfluè fecit nos circuncidi: ipsemet ponit illã obiectionem,ostendẽdo quid illis sit maius quàm gentilibus.Quandoquidem circuncisio prævaricans legem,fit præputium:& præputium cõsummans legem,reputatur in circuncisionem, id est, Iudæus fit gentilis,& gentilis Iudæus.[Ergo quid amplius est Iudæo]qui dicitur peculiaris populus Dei,quàm gentili, qui dicitur canis immundus? aut

Eccle.1.